



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Capitularia Regvm Francorvm**

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

12. Notitia de cruce evindicata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

*Conculcaturia quam Abbas facit ad hominem suum.*

X. Ego in Dei nomine , ac si peccator , venerabilis vir ille Abbas de monasterio sancto illo , quod est in pago illo constructum . Dum & omnibus non est incognitum qualiter filius servi nostri nomine ille quandam feminam nostram nomine illam , bene ingenuam , filiam illius quondam , contra voluntatem parentum ipsius feminæ sociavit sibi ad conjugium , sed postea ipsis parentibus complacuit & nobis ut talem epistolam conculcaturiam manu nostra vel a fratribus nostris firmatam ipsi feminæ fieri vel firmare rogaremus , ut de ipso servitio , si agnatio inter ipsos apparuerit , in servitio publico nunquam fuit coquinatus , sed sub integra ingenuitate dierum eorum debeant perseverare , ideo precor atque supplico ad successores nostros vel ad Deum timentes homines ut benefacta nostra jubeant conservari qualiter ipsi vellent ut in postmodum eorum facta debeant esse stabilia ; & per malorum hominum infestationem multam in ipsa epistola conculcaturia fieri vel conscribere rogavimus , ut si fuerit , quod Deus non permittat , extranea pars que haec facta nostra infrangere voluerit , in primis iram Dei & sancti illius incurrat , & ob hoc folidos centum partibus ipsius cui haec facta est multe componat , & quod repetit vindicare non valeat .

*Donatio quam homo facit ad filium suum.*

XI. Ego in Dei nomine ille . Constat me in amore Domini nostri Iesu Christi , ut veniam delictis meis consequi mereamur , donassi & dono donatumque esse volo ad dulcissimum filium meum nomine illum peciam de terra arabili in loco qui dicitur ille , qui est in pago illo , per loca designata vel circuita , in ea ratione ut post hunc diem jam dictus filius meus , cui epistola donationis ista legibus facta fuit , ipsam terram habeat , teneat , atque possideat , vel quicquid exinde facere voluerit , liberam in omnibus Christo proprio habeat potestatem . Et si quis &c .

*Notitia de cruce evindicata.*

XII. Dum & omnibus non est incognitum qualiter veniens homo aliquis nomine ille ante Vigarium inlustris viri illius Comitis nomine illo , adversus hominem aliquem nomine illum , repetebat ei dum diceret eò quod terram suam de suo manfo vel de sua potestate malo ordine propriisset . Sed ipse ille de praesenti adstare

Tom. II.

videbatur , & hanc causam fortiter denegavit quod suam terram de suo manfo male ordine nunquam propriisset , nec post se nunquam retinuerit . Sed taliter ei fuit judicatum in ipso placito ante ipsum Vigarium , vel ante ipsos pagenses , ut ad cruem ad judicium Dei pro ipsa terra in noctes quadraginta duas in ipso placito pro hoc deberent adstare . quod ita & fecerunt . Sed venientes ad ipsum placitum , sicut eis fuit judicatum , ante ipsum Vigarium , vel ante ipsos pagenses , ad ipsum judicium vel ad ipsam cruem nisi fuerunt stetisse ; sed ipse illum hominem , qui ipsam terram propriavit , ad ipsum judicium vel ad ipsam cruem cum convicit ; sed ipse in ipso placito ad ipsam cruentem viuis cadisse ; sed dum haec causa sic fuit inventa , quod ipse ille qui ad ipsum judicium vel ad ipsam cruentem cadisset , solidos tantos ei transsolvere deberet , quod ita & fecit , & de ipsa terra ipsum illum legibus revestire deberet , quod ita & fecit . Tunc taliter ei judicaverunt , ut ipse ille de praesenti die ipsam terram tam contra ipsum illum vel heredes suos quam contra quemlibet hominem omnique tempore habeat evindicatam atque eligitam , ut tam ipse ille quam & posteritas sua post hanc diem predictam terram quieto ordine valeat possidere vel dominare , & ducti & securi exinde valeant residere . Factum judicium in loco illo publiciter .

*Cautio de clavibus.*

XIII. Dum & plures homines est patefactum qualiter in Dei nomine ille veniens in placito ante illos vel quamplures bonos homines adversus hominem nomine illum , repeatabat ei dum diceret eò quod cellaria vel camara & granica , quicquid in eis habuit repositum , hoc est , aurum , argentum , drapalia , arma , vinum , annonam , vel vitalia sua per suas claves commendasset ad custodiendum vel ad salvandum , & ipsam rem in naufragium vel in damnum posuit . Sed ipse ille de praesenti adstabat , & hanc causam nullatenus potuit denegare ; sed taliter ei fuit professus , quod ipsam rem superius denominatam per suum neglectum & per suum facinus fuit perdita vel naufragata . Tunc taliter ei judicaverunt , ut ipsam rem ei transsolvere vel emendare deberet . Sed ipse ille nullatenus habuit unde ipsam rem transsolvere vel emendare deberet . Sed taliter ei fuit judicatum , ut talem cautiōnem de capite suo , manu sua vel bonorum

I i ij